

## III.

Vt plurimum autem pro lectoris nomine, eius elogia, vel dignitatem ipsius ac merita, vel scribentis in ipsum potestatem & gratiam submissionemque ac modestiam, quin & amorem statumque eius æqualem, indicantia, supra contextum epistolarem in *vocativo casu* ponuntur; & in media quoque epistola repetuntur; nomen vero illius, qui scribit, ad epistolæ finem subiicitur.\*

*Nonnumquam ab iis discedit.*

\* Quum hæc talia vna cum moribus gentium variari consueuerint; proinde genium sæculi & cuiuslibet reipublicæ statum & consuetudinem, normæ instar habere & ex epistolarum publice probatarum exemplis, quæ ad præloquiorum istorum partes attinent, item talem obseruare iuuabit. Nec minus animaduertimus, compellationem per eadem aut similia protus elogia exprimendam esse, ac in titulo externo, ne dissentire nobis ipsis videamur; simulque a litterarum initiis hoc ampliori spatio seiungendam, quo maioris sunt dignitatis, ad quos scriptionem dirigimus.

## V.

Sicut præloquium, de cuius nos partibus adhuc egimus, exorditur epistolam; ita clausula finem ipsi imponit. Sunt autem in ea hæc quinque sollemnia;

*Partes conclusionis.*